



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Audit Ioannes vocem vnus aquilæ volantis per medium cæli, & dicentis  
voce magna: V[a]e, v[a]e, v[a]e, habitantibus in terra de c[a]eteris  
vocibus trium Angelorum, qui erant tuba canturi. Sectio ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39261**

fideles, & se veros Prophetas, & Angelos mētiendo eis coronam, & premia, quae aliqui per veram fidem, ac religionem consecuturi erant, inique detrahebant.

Audit Ioannes vocem vnus aquilae volantis per medium caeli, & dicentis voce magna: *Ve, ve, ve, habitantibus in terra de ceteris vocibus trium Angelorum, qui erant tuba canturi.*

SECTIO XIII.

**I**N multis Graecis codicibus non aquilam, sed Angelum legimus: sed tamen vetustiora exemplaria aquilam habent, & ita legerunt Beda, Arethas, Ticonius, & interpretes communiter, qui per aquilam hoc loco praedicatorum intelligunt extremi temporis, qui communicationes Diuinas, atque supplicia hominibus denuntiabunt. Francisc. Rib. suspicatur per hanc aquilam insignem aliquem sanctitatis virum extremo tempore futurum praedici, siue ex concionatorum numero sit, siue priuatus, qui interitum hominibus clamabit imminere. Ceteram nos arbitramur cum Lyrano, & Petro Aurel. Card. in comment. huius loci, & Petr. Dam. serm. i. de excellentia Beati Ioannis Euangelistae, & aliis istius aquilae nomine ipsummet Ioanem, qui loquitur, fuisse adumbratum: nec enim refert, quod ipse dicat se vocem illius aquilae audiuisse: apte enim potuit Deus imaginariam aquilam per visum Ioanni ostendere clamantem voce magna, ut ipsummet Ioannem adhuc plura prodigia conspiciendum, denuntiaturumque in hac visione exprimeret: nec est insolens in sacris literis Ioannem de se in tertia loqui persona, veluti cum ait: *Discipulus ille quem diligebat Iesus.* Persuadet mihi hanc sententiam haec vna ratio: quoniam cum vox illius aquilae volantis per medium caeli illa fuerit: *Ve, ve, ve, habitantibus in terra de ceteris vocibus trium Angelorum, qui erant tuba canturi.* (quibus verbis significabit visionem trium Angelorum, qui supererant, maxima, & admiranda prodigia, eaque mortalibus funesta comprehendere, idcirco enim ter dictionem *Ve* ingeminavit) quemnam quae so alium par est credere expressisse nisi Ioannem; qui statim omnia illa supplicia ad tubas trium Angelorum consequentia erat literis mandaturus: Is enim fuit, qui statim instar aquilae per medium caeli volans, hoc est, per eccelsam in caelum usque conscendens vidit triplicem illam visionem sub tubis trium Angelorum, qui supererant, & tam horrida visione obstupescens magna voce clamauit: *Ve, ve, ve, habitantibus in terra de ceteris vocibus trium Angelorum:* cum omnia illa prodigia, atque supplicia sibi ostensa Diuinitus conscripsit, & vniuersae Ecclesiae legenda proposuit. Cum igitur Ioannes ipse fuerit, qui visionem trium Angelorum vulgauerit, & illud ter geminum inculcauerit: sane, cum aquilam illam vidit, se ipsum conspexit, qui eius aquilae visione admoneretur de his, quae statim ipsi ostendi deberent, conscribendis. Atque hinc rursus colligimus per istam aquilam non esse insignem aliquem virum extremo tempore futurum accipiendum, qui interitum mortalibus imminere denunciet: siquidem quae aquila illa timenda esse clamauit sub tubis trium Angelorum consequentium, mox a Ioanne deinceps conscripta, ac denunciata fuerunt: quare non est, cur extremis temporibus iterum denuncianda expectari debeant, nisi ille insignis concionator eo tempore debeat haec eadem, quae Ioannes scribit, denud replicare. Sit igitur constitutum huius aquilae clamantis vocem esse ipsius Ioannis sub trium Angelorum consequentium tubis praedictionem. Quanto vero iure

I.  
Beda.  
Arethas.  
Ticonius.  
Quid aquila  
Ioanni in cae-  
lo visa adu-  
brauerit.  
Ribera.  
Lyrano.  
Petr. Aurel.  
Petr. Dam.  
Aquila Ioan-  
nes ipse.  
Ioan 21.7.

Na, illud semel, iterum, ac tertio repetitum, replicatumque fuerit, ex trium tubarum, quae sequuntur, terrifico sonitu, atque clangore palam erit.

Illud interim hoc loco obseruatione dignū videtur non vacare mysterio, quod antequam tres Angeli, qui supersunt, tuba canerent, aquila illa per medium caelum volans succillo magno clamore mortales praemonuerit de tribus plagis sequentibus, ut per poenitentiam ad Deum conuersi eius iram mitigarent, & sequentes plagas iam instantes subterfugerēt. Solet enim Deus antequam puniat, comminari, quod mortales praecipue faciem eius in confessione veniam consequantur, quemadmodum disertis verbis testatur Regius vates Psal. 59. *Dedisti*, inquit, *metuentibus te significationem: ut fugiant a facie arcus*. Qui locus communiter de huius vitae flagellis exponitur, quae Deus solet infligere, ut per ea peccatores eruditi extremi iudicii seueritatem declinet: Cui quidem expolitioni fauet vers. praecedens: *Ostendisti populo tuo dura: potuisti nos vino compunctionis*. Docet verò Aug. in comment. eiusdem loci iudicium arcui comparari, quia quemadmodum arcus, quo magis extenditur, eo sagittam iacit violentius, sic iudicij dies, quo magis differtur, eo erit acerbior.

## III.

*Praemonet nos Deus, quoniam punire non vult.*  
Gen. 1.1.

Gen. 1.1.

*In ipso mundi initio iudicij mentio.*

*Exod. 9.18. Commendatur Dei misericordia.*

*Theodo. D. Aug.*

*1. Pet. 3.19. D. Aug. ubi.*

Verum generalius accipere possumus eundem locum de quacūque significatione suae per flagella, siue per cōminationem, & praedictionem, aliaque huiusmodi signa, quibus veluti antegressis monere solet peccatores Deus, ut sui furoris arcum subterfugiant, sanè non tanto ante praedicturus, si sibi cordi esset ipsa poenitentio. Id quod mirifice cernere licet vel in ipso Genesis principio, ubi ita scribit à Moysè voluit: *In principio creauit Deus caelum, & terram*. Pro *Deus* habetur Hebraice *elohim*, id est, *iudices*: quae vox parū videbatur ad mundi creationem explicandam conducere. Cur enim non dixit, *Creauit Lebanon*: aut *Creauit omnipotes caelum, & terram*, sed: *Creauit iudices*: ut nimirum ipsa mundi creatione admoneret eundem esse mundi creatorem, & iudicem, qui eundem deberet iudicare, atque adeo ista cōminatione tanto ante iactata homines à peccando deterreret, admoneretque non eis abutendum mundo, quem non solum tanquam omnipotens, sed etiā tāquam iudex fabricauerat, ut intelligerent iudicem futurum mundi eundem mundi conditorem. Eandem Dei misericordiam habes expressam Exod. 9. ubi cum Deus statuisset perdere grandine omnia Aegypti pecora, & cuncta, quae reperiretur in agris, monuit per Moysen Pharaonē ut ea subiecta colligeret. Vide incredibile Dei clementiam illis verbis expressam: *En pluuam eras hac ipsa hora grandinem multam nimis, qualis non fuit in Aegypto die, qua fundata est usque in praesens tempus. Mitte ergo iam nunc, & congrega iumenta tua, & omnia quae habes in agro, homines enim, & iumenta, & vniuersa, quae inuenta fuerint foris, nec congregata de agris, cecideritque super ea grandis, morietur. Et statim subiungitur, Qui timuit verbum Dei de seruis Pharaonis, fecit confugere seruos suos, & iumenta in agris. In quē locū Dei misericordiam expendunt Theod. dist. 9. q. 21 super Exod. & D. Aug. l. q. super Exod. q. 33. Quid est, inquit, quod mandauit Deus Pharaoni, cum se facturum magnam grandinem minaretur, ut festinet congregare pecora sua, & quaecumque essent in campo, ne grandine intereant: hoc enim non tam indignanter, quam misericorditer videtur admonere, sed hoc non facit quaestionem, quod Deus etiam irascens temperat poenam.*

## IV.

Huc etiam pertinet quod Deus voluit Noë centum annis ante per arceillum fabricationem denunciare diluuium, comminatusque vniuersis, orbis futuram euerfionem, nisi poenitentiam agerent. Vnde Petrus 1. c. 3. sic ait. *His qui in carcere erant spiritibus veniens praedicauit, qui increduli fuerat aliquando quando expectabas Dei poenitentiam diebus Noë, cum fabricaretur arca. Quo loco est aduertendū pro eo, quod nos habemus,*

habemus, Quoniam expectabant Dei patientia, D. August. epist. 99. legisse, Quando expectabat patientia Dei: cui lectioni non repugnat Græca sententia, quæ sic habet: οτε α περιδεξτο ηδ. ηε μαροθυση, potestque transferri, Expectabat, vel, Expectabatur Dei patientia, cum α περιδεξτο sit in voce media, quæ utranque significationem habet. Quare iuxta lectionem Augustini sensus est illis centum annis premiffa diluuij comminatione expectasse Dei patientiam penitentiam mortalium, & conuersionem, ut ne diluuiio orbem delere cogeretur In eandem sententiam, D. Chryl. hom. 25. super Gen. obseruauit, quod idcirco Deus non de repente orbem diluuij aquis obruerit, sed quadraginta dies, & quadraginta noctes aquas, subinde succrescere voluerit, cum vno momento orbem diluuiio perdere potuisset. Facta est pluuia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Quod quadraginta diebus, inquit Chryl. & quod quadraginta noctibus inditum est diluuium, & istud ipsum bonitatis maximum specimen est: volebat enim propter magnam misericordiam etiam aliquos ex eis castigatos generale hanc interuentionem effugere, cū ante oculos, viderent proximos suos perire, & innumerere sibi communi interitum: verisimile enim est primo die bonū aliquam partem diluuiio perisse, & secundo die accrescisse aliquid diluuij, & similiter die tertio, & quarto, & reliquis, atque ita in quadraginta dies, & quadraginta noctes produxit, ut omnem defensionis prætextum adimeret: nam si voluisset, ac imperasset, potuisset annis vno momento perdere diluuium, sed pro sua misericordia tanta dierum productione usus est. Mitto innumera Prophetarum vaticinia, quibus Deus Hebræorum populo ventura mala multo ante prædixit, ut videre est apud Hieremiam, Ezechielem, exterōsque omnes Diuinos vates, quos tanquam aquilas volantes per medium cæli emittebat, ut voce magna clamantes: *Ve, ve, ve habitantibus in terra, peccatorum animos perterrent, & antequam adueniret tempus supplicij definitum, ad penitentiam incitarent.*

Gen. 7. 12.  
D. Chryl.

ARGVMENTVM.

Persequitur Iohannes tertiam huius operis visionem. Cūque superiori capite ex septem illis Angelis, quos cum tubis in cælo conspexerat quatuor tantum explicauerit, per se deinceps tres alios explicare, eorūque visionem commemorat tribus capitibus sequentibus. Hoc vero caput quinti, & sexti Angeli narrationem complectitur.

CAPVT NONVM.



Quintus Angelus tuba cecinit: & vidi stellam de cælo cecidisse in terram, & data est ei clavis putei abyssi: & aperuit puteum abyssi: & ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnæ: & obscuratus est sol, & aer de fumo putei: & de fumo putei exierunt locustæ in terram, & data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terre: & præceptum est illis, ne læderent scænum terre, neque omne viride, neque omnem arborem: nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis. Et datum est illis, ne occiderent eos: sed ut cruciarent mensibus quinque: & cruciatus eorum, & cruciatus scorpionum, cum percussit ho-